

la est etiam in illicito concubitu. Ergo illicitus concubitus affinitatem causat.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod ex sponsalibus nulla affinitas causari possit. Quia affinitas est perpetuum vinculum. Sed sponsalia quandoque separantur. Ergo non possunt esse causa affinitatis.

2. Præterea. Si aliquis claustrum pudoris illicitus mulieris invasit, & apertus, sed non pervenit ad operis consummationem, non contrahitur ex hoc affinitas. Sed talis magis est propinquus carnali copulæ quam ille qui sponsalia contrahit. Ergo ex sponsalibus affinitas non causatur.

3. Præterea. In sponsalibus non fit nisi quædam sponsio futurarum nuptiarum. Sed aliquando fit sponsio futurarum nuptiarum, & ex hoc non contrahitur aliqua affinitas, sicut si fiat ante septennium, vel si aliquis habens perpetuum impedimentum tollens potentiam coeundi, alicui mulieri spondet futuras nuptias, aut si talis sponsio fiat inter personas quibus nuptiæ per votum reddantur illicitæ, vel alio quocumque modo. Ergo sponsalia non possunt esse causa affinitatis.

Sed contra est quod Alexander III. Papa extra de sponsal. & matrim. cap., Ad audientiam, prohibuit mulierem quamdam cuidam viro conjungi in matrimonium, quia fratri suo fuerat desponsata. Sed hoc non esset, nisi per sponsalia affinitas contraheretur. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA V.

1. Uterius. Videtur quod etiam affinitas sit causa affinitatis. Quia Julius Papa dicit: *Relictam consanguineam uxoris sue nullus ducat uxorem*, ut habetur xxxv. quæst. 111. cap. *Conradicimus*, & in sequenti capitulo dicitur, quod duæ consanguineorum uxores uni viro altera post alteram nubere prohibentur. Sed hoc non est nisi ratione affinitatis quæ contrahitur ex conjunctione ad affinem. Ergo affinitas est causa affinitatis.

2. Præterea. Carnalis commixtio conjungit sicut & carnis propagatio: quia æqualiter computatur gradus affinitatis, & consanguinitatis. Sed consanguinitas est causa affinitatis. Ergo & affinitas.

3. Præterea. Quæcumque uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem. Sed uxor viri alicujus efficitur ejusdem atinentiæ cum omnibus consanguineis viri. Ergo omnes consanguinei viri sui efficiuntur unum cum omnibus qui atinent mulieri per affinitatem; & sic affinitas est causa affinitatis.

4. Sed contra. Si affinitas ex affinitate causatur, aliquis qui cognovisset duas mulieres, neutram earum posset ducere in uxorem: quia secundum hoc una efficeretur alteri affinis. Sed hoc falsum est. Ergo affinitas non causat affinitatem.

5. Præterea. Si affinitas ex affinitate nasceretur, aliquis contrahens cum uxore defuncti fieret affinis omnibus consanguineis prioris viri, ad quos mulier habet affinitatem. Sed hoc non potest esse, quia maxime fieret affinis viro defuncto. Ergo &c.

6. Præterea. Consanguinitas est fortius vinculum quam affinitas. Sed consanguinei uxoris non efficiuntur affines consanguineis viri. Ergo multo minus affines uxoris efficiuntur eis affines; & sic idem quod prius.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod amicitia quædam naturalis in communicatione naturali fundatur, ut supra dictum est. Naturalis autem communicatio est duobus modis secundum Philosophum VIII. Ethic. cap. xii. vel xiv. Uno modo per carnis propagationem; alio modo per conjunctionem ad carnis propagationem ordinatam: unde ipse ibidem dicit, quod amicitia viri ad uxorem est naturalis. Unde sicut persona conjuncta alteri per carnis propagationem quoddam vinculum amicitie naturalis facit, ita si conjungantur per carnalem copulam. Sed in hoc differt, quod persona conjuncta alicui per carnis propagationem, sicut filius patri, fit particeps ejusdem radicis, & sanguinis: unde eodem genere vinculi colligatur filius consanguineis patris quo pater conjungebatur, scilicet consanguinitate, quamvis secundum alium gradum propter majorem distantiam à radice. Sed persona conjuncta per carnalem copulam non fit particeps ejusdem radicis, sed quasi extrinsecus adjuncta: & ideo ex hoc efficitur aliud genus vinculi, quod affinitas dicitur: & hoc est quod in hoc versu dicitur: *Mutat nupta genus, sed generata gradum*: quia scilicet persona per generationem fit in eodem genere atinentiæ, sed in alio gradu; per carnalem vero copulam fit in alio genere.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis causa sit potior effectu, non tamen oportet semper quod nomen idem effectu, & causæ conveniat: quia quandoque illud quod est in effectu, invenitur in causa non eodem modo, sed altiori: & ideo non convenit causæ, & effectui per idem nomen, neque per eandem rationem, sicut patet in omnibus causis æquivoce agentibus: & hoc modo conjunctio viri & uxoris est potior quam conjunctio uxoris ad consanguineos viri, non tamen debet dici affinitas, sed matrimonium, quod est unitas quædam, sicut homo sibi ipsi est idem, non consanguineus.

Ad secundum dicendum, quod consanguinei sunt quodammodo separati, & quodammodo conjuncti: & ratione conjunctionis accidit quod persona quæ uni conjungitur, omnibus aliquo modo conjungatur; sed propter separationem, & distantiam accidit quod persona quæ uni conjungitur uno modo, alii conjungatur alio modo, vel secundum aliud genus, vel secundum alium gradum.

Ad tertium dicendum, quod relatio quandoque innascitur ex motu utriusque extremi, sicut paternitas, & filiatio; & talis relatio est realiter in utroque: quandoque vero innascitur ex motu alterius tantum; & hoc contingit dupliciter. Uno modo quando relatio innascitur ex motu unius sine motu alterius vel precedente, vel concomitante, sicut in creatura, & Creatore patet, & sensibili, & sensu, & scientia, & scibili; & tunc relatio in uno est secundum rem, & in altero secundum rationem tantum. Alio modo quando innascitur ex motu unius sine motu alterius tunc existente, non tamen sine motu precedente, sicut æqualitas fit inter duos homines per augmentum unius sine hoc quod alius tunc augetur, vel minuitur; sed tamen prius ad hanc quantitatem quam habet, per aliquem motum, vel mutationem, pervenit: & ideo in utroque extremorum talis relatio realiter fundatur. Et similiter est de consanguinitate, & affinitate: quia relatio fraternitatis quæ innascitur aliquo puero nato alicui jam provento, causatur quidem sine motu ipsius tunc existente, sed ex motu ipsius præ-

precedente, scilicet generationis ejus: hoc enim accidit quod ex motu alterius sibi nunc talis relatio innascitur. Similiter ex hoc quod iste descendit per generationem propriam ab eadem radice cum viro, provenit affinitas in ipso ad uxorem sine aliqua nova mutatione ipsius.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod relatio aliqua desinit esse dupliciter. Uno modo ex corruptione subjecti; alio modo ex subtractione causæ, sicut similitudo esse desinit, quando alter similitudinis moritur, vel quando qualitas quæ erat causa similitudinis, subtrahitur. Sunt autem quædam relationes quæ habent pro causa actionem, vel passionem, aut motum, ut in V. Metaph. text. xx. dicitur: quorum quædam causantur ex motu, in quantum aliquid movetur actu, sicut ipsa relatio quæ est moventis, & moti; quædam autem in quantum habent aptitudinem ad motum, sicut motum, & mobile, & dominus, & servus; quædam autem ex hoc quod aliquid prius motum est, sicut pater, & filius, non ex hoc quod est generari nunc, ad invicem dicuntur, sed ex hoc quod est generatum esse. Aptitudo autem ad motum, & etiam ipsum moveri transit; sed motum esse perpetuum est, quia quod factum est, nunquam desinit esse factum: & ideo paternitas, & filiatio nunquam destruuntur per destructionem causæ, sed solum per corruptionem subjecti per alterutrum extremorum. Et similiter dicendum est de affinitate, quæ causatur ex hoc quod aliqui conjuncti sunt, non ex hoc quod conjunguntur: unde non dirimitur manentibus illis personis inter quas affinitas est contracta, quamvis moriatur persona ratione cujus contracta fuit.

Ad primum ergo dicendum, quod conjunctio matrimonii causat affinitatem non solum secundum hoc quod est actu conjungi, sed secundum hoc quod est prius conjunctum esse.

Ad secundum dicendum, quod consanguinitas non est causa proxima affinitatis, sed conjunctio ad consanguineum; non solum quæ est, sed quæ fuit: & propter hoc ratio non sequitur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod secundum Philosophum, in VIII. Ethic. conjunctio viri, & uxoris dicitur naturalis principaliter propter proles productionem, & secundario propter operum communicationem: quorum primum pertinet ad matrimonium ratione carnalis copulæ; sed secundum in quantum est quædam societas in communem vitam. Primum autem horum est invenire in qualibet carnali copula, ubi est commixtio seminum, quia ex tali copula potest produci, quamvis secunda desit: & ideo quia matrimonium affinitatem causabat, secundum quod erat quædam carnis commixtio, etiam fornicarius concubitus affinitatem causat, in quantum habet aliquod de naturali (1) conjunctione.

Ad primum ergo dicendum, quod in fornicario concubitu est aliquid naturale, quod est commune fornicationi, & matrimonio; & ex hac parte affinitatem causat: aliud est ibi inordinatum, per quod à matrimonio dividitur; & ex hac parte affinitas non causatur: unde affinitas semper honesta remanet,

quamvis causa sit aliquo modo inhonesta.

Ad secundum dicendum, quod non est inconveniens relationes ex opposito divisas eidem inesse ratione diversorum; & ideo potest inter aliquas duas personas esse affinitas, & consanguinitas non solum per illicitum concubitum, sed etiam per licitum; sicut cum consanguineus meus ex parte patris duxit in uxorem consanguineam meam ex parte matris: unde quod dicitur in diffinitione affinitatis inducta, *omni carens parentela*, intelligendum est in quantum hujusmodi. Nec tamen sequitur quod aliquis consanguineam suam cognoscens, sibi ipsi sit affinis, quia affinitas, sicut & consanguinitas, diversitatem requirit, sicut (2) & similitudo.

Ad tertium dicendum, quod concubitus contra naturam non habet commixtionem seminum quæ possit esse causa generationis: & ideo ex tali concubitu non causatur aliqua affinitas.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod sicut sponsalia non habent perfectam rationem matrimonii, sed sunt quædam præparatio ad matrimonium; ita ex sponsalibus non causatur affinitas sicut ex matrimonio, sed aliquid affinitati simile, quod dicitur *publicæ honestatis justitia*, quæ impedit matrimonium, sicut affinitas, & consanguinitas, & secundum eisdem gradus, & diffinitur sic: *Publicæ honestatis justitia est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter ejus honestatem*. Ex quo patet ratio nominis, & causa, quia scilicet talis propinquitas ab Ecclesia instituta est propter honestatem.

Ad primum ergo dicendum, quod sponsalia non sui ratione, sed ratione ejus ad quod ordinantur, causant hoc genus affinitatis, quod dicitur *publicæ honestatis justitia*: & ideo sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita & prædictus affinitatis modus.

Ad secundum dicendum, quod vir & mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum: unde quantumcumque aliquis claustra pudoris invadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas. Sed matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulæ, sed etiam ratione societatis conjugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est: unde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonii per verba de præsentibus ante carnalem copulam: & similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio conjugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet *publicæ honestatis justitia*.

Ad tertium dicendum, quod omnia impedimenta quæ faciunt sponsalia non esse sponsalia, non permittunt ex pacto nuptiarum affinitatem fieri: unde sive habens defectum ætatis, sive habens votum solemne continentie, aut aliquod hujusmodi impedimentum, sponsalia de facto contrahat, ex hoc non sequitur aliqua affinitas: quia sponsalia nulla sunt, nec aliquis affinitatis modus. Si tamen aliquis minor, frigidus, vel maleficiatus habens impedimentum perpetuum ante annos pubertatis post septennium contrahat sponsalia cum adulta, ex tali contractu contrahitur *publicæ honestatis justitia*: quia adhuc non erat in actu impediendi, cum in ætate puer frigidus, & non frigidus quantum ad actum illum (3) sint æqualiter impotentes.

SO.

(1) Ita Nicolaus ex ms. Al. cognitione. Forte cognatione (2) Al. & e converso. (3) Al. fuit æqualiter impotens.

SOLUTIO IV.

Ad quintam questionem dicendum, quod duplex est modus quo aliquid ex alio procedit. Unus secundum quem procedit in similitudinem speciei, sicut ex homine generatur homo: alius secundum quem procedit dissimile in specie, & hic processus semper est in inferiore specie, ut patet in omnibus agentibus æquivoce. Primus autem modus processionis quotiescumque iteretur, semper remanet eadem species, sicut si ex homine generetur homo per actum generativæ virtutis, ex hoc quoque generabitur homo, & sic deinceps. Secundus autem modus, sicut in primo facit aliam speciem, ita quotiescumque iteratur, aliam speciem facit; ut si ex puncto per motum procedit linea, non punctus, quia punctus motus lineam facit; ex linea linealiter mota non procedit linea, sed superficies, & ex superficie corpus, & ulterius per talem modum processus aliquis esse non potest. Invenimus autem in processu attentionis duos modos, quibus vinculum huiusmodi causatur. Unus per carnis propagationem, & hic facit semper eandem speciem attentionis: alius per matrimonialem conjunctionem, & hic facit aliam speciem in principio, sicut patet quod conjuncta matrimonialiter consanguineo non fit consanguinea, sed affinis. Unde, etsi iste modus procedendi iteretur, non erit affinitas, sed aliud attentionis genus: unde persona quæ matrimonialiter affini conjungitur, non est affinis, sed est aliud genus affinitatis, quod dicitur secundum genus. Et rursus, si affini in secundo genere aliquis per matrimonium conjungatur, non erit affinis in secundo genere, sed in tertio: ut in hoc versu supra posito ostenditur:

Mutat nupta genus, sed generata gradum.

Et hæc duo genera olim erant prohibita propter publicæ honestatis justitiam magis quam propter affinitatem, quia deficiunt à vera affinitate, sicut illa attentionis quæ ex sponsalibus contrahitur; sed modo prohibitio illa cessavit, & remanet sub prohibitione solum primum genus affinitatis, in quo est vera affinitas.

Ad primum ergo dicendum, quod alicui viro (4) consanguineus uxoris ejus efficitur affinis in primo genere, & uxor ejus in secundo: unde mortuo viro, (5) qui erat affinis, non poterat eam ducere in uxorem propter secundum affinitatis genus. Similiter etiam si aliquis viduam in uxorem ducat, consanguineus prioris viri, qui est affinis uxori in primo genere, efficitur affinis secundo viro in secundo genere, & uxor illius consanguineus quæ est affinis uxori viri hujus in secundo genere efficitur affinis viro secundo in tertio genere. Et quia tertium genus erat prohibitum propter honestatem quamdam magis quam propter affinitatem, ideo canon (Porro causa xxxvi. quæst. iv.) dicit: *Duas consanguineorum uxores uni viro altera post alteram nubere publicæ honestatis justitia contradicit.* Sed nunc talis prohibitio cessavit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis carnalis conjunctio conjungat, non tamen eodem genere conjunctionis.

Ad tertium dicendum, quod uxor viri efficitur ejusdem attentionis consanguineus viri quantum ad eundem gradum, sed non quantum ad idem attentionis genus.

Sed quia ex rationibus quæ in oppositum inducuntur

(4) *Al. consanguineo uxori suæ.* (5) *Nicolajus: addit ille.*

tur, videtur ostendi, quod nullum vinculum ex affinitate causeatur, ad alias rationes respondendum est, ne antiqua Ecclesiæ prohibitio irrationabilis videatur.

Ad quartum dicendum, quod mulier non efficitur affinis in primo genere viro cui conjungitur carnaliter, ut ex prædictis patet. Unde communiter alii mulieri à viro eodem cognitæ efficitur affinis in genere secundo: unde hæc ducenti in uxorem unam earum efficitur alia affinis in tertio genere; & ita duas mulieres cognitas ab eodem viro nec etiam antiqua jura eidem successive copulari prohibebant.

Ad quintum dicendum, quod sicut vir non est affinis uxori suæ in primo genere, ita non efficitur affinis secundo viro ejusdem uxoris in secundo genere; & sic ratio non procedit.

Ad sextum dicendum, quod mediante una persona non conjungitur mihi alia, nisi ex hoc quod ei conjungitur; unde mediante muliere quæ mihi est affinis, nulla persona fit mihi attentionis, nisi quæ illi mulieri adjungitur; quod non potest esse nisi per carnis propagationem ex ipsa, vel propter conjunctionem matrimonialem ad eam: & utroque modo aliqua attentionis mediante prædicta muliere secundum antiqua jura mihi proveniebat: quia filius ejus etiam ex alio viro efficitur mihi affinis in eodem genere, sed in alio gradu, ut ex regula prius data patet. Et iterum secundus vir ejus efficitur mihi etiam affinis in secundo genere, sed consanguineus alii illius mulieris non adjunguntur ei; sed ipsa vel conjungitur eis, sicut patri, & matri, in quantum procedit ab eis, vel principio eorundem, sicut fratris: unde frater affinis meæ, vel pater non efficitur mihi affinis in aliquo genere.

ARTICULUS II.

Utrum affinitas matrimonium impediatur.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod affinitas matrimonium non impediatur. Nihil enim impedit matrimonium nisi quod est illi contrarium. Sed affinitas non contrariatur matrimonio, cum sit effectus ejus. Ergo non impedit matrimonium.

2. Præterea. Uxor efficitur per matrimonium res quædam viri. Sed consanguineus viri defuncti succedunt in rebus ejus. Ergo possunt succedere in uxore, ad quam tamen manet affinitas, ut ostensum est. Ergo affinitas non impedit matrimonium.

Sed contra est quod dicitur Levit. xviii. 8. *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis.* Sed illa est tantum affinis. Ergo affinitas impedit matrimonium.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod affinitas habeat etiam per seipsam gradus. Cujuslibet enim propinquitatis est accipere aliquos per se gradus. Sed affinitas propinquitatis quædam est. Ergo habet gradus per se sine gradibus consanguinitatis, ex quibus causatur.

2. Præterea. In littera dicitur, quod soboles secundæ conjunctionis non potest transire ad consortium affinitatis prioris viri. Sed hoc non esset, nisi filius affinis esset etiam affinis. Ergo affinitas habet per se gradus, sicut consanguinitas.

Sed contra. Affinitas ex consanguinitate causatur. Ergo & omnes gradus affinitatis causantur ex gradibus consanguinitatis, & sic non habet per se aliquos gradus.

QUÆSTIUNCULA III.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod gradus affinitatis non extendantur, sicut gradus consanguinitatis. Quia vinculum affinitatis est minus forte quam consanguinitatis, cum affinitas ex consanguinitate causeatur in diversitate speciei, sicut à causa æquivoca. Sed quanto fortius est vinculum, tanto diutius durat consanguinitas. Ergo vinculum affinitatis non durat usque ad tot gradus ad quod durat consanguinitas.

2. Præterea. Jus humanum debet imitari jus divinum. Sed secundum jus divinum aliqui gradus consanguinitatis erant prohibiti, in quibus gradibus affinitas matrimonium non impediatur, sicut patet de uxore fratris, quam aliquis poterat ducere in uxorem ipso defuncto, non tamen sororem propriam. Ergo & nunc non debet esse prohibitio æqualis de affinitate, & consanguinitate.

Sed contra. Ex hoc ipso est aliqua mihi affinis quod meo consanguineo est conjuncta. Ergo in quocumque gradu sit vir mihi consanguineus, in illo gradu erit uxor mihi affinis; & sic gradus affinitatis computari debent in eodem numero sicut & gradus consanguinitatis.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam questionem, quod affinitas præcedens matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum eadem ratione qua & consanguinitas: sicut enim inest necessitas quædam cohabitandi consanguineis ad invicem, ita & affinis; & sicut est quoddam amicitie vinculum inter consanguineos, ita inter affines. Sed si affinitas matrimonio superveniat, non potest ipsum dirimere, ut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod affinitas non contrariatur matrimonio ex quo causatur, sed contrariatur matrimonio quod cum affine contrahendum esset, in quantum impediret amicitie multiplicationem, & concupiscentie repressionem, quæ per matrimonium queruntur.

Ad secundum dicendum, quod res possessæ à viro non efficiuntur aliquid unum cum ipso viro, sicut uxor efficitur una caro cum ipso: unde sicut consanguinitas impedit conjunctionem ad virum, ita ad uxorem viri.

SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod res non dividitur divisione per se, nisi ratione illius quod competit sibi secundum suum genus, sicut animal per rationale, & irrationale, non autem per album, & nigrum. Carnis autem propagatio per se comparatur ad consanguinitatem, quia ex ea immediate consanguinitatis vinculum contrahitur; sed ad affinitatem non comparatur nisi mediante consanguinitate, quæ est causa ejus. Unde cum gradus attentionis per propagationem carnis distinguantur, distinctio graduum per se & immediate competit consanguinitati, sed affinitati mediante consanguinitate: & ideo ad inveniendum gradus affinitatis est regula generalis quod quoto gradu consanguinitatis atinet mihi vir, toto gradu affinitatis atinet mihi uxor.

Ad primum ergo dicendum, quod gradus in pro-

In IV. Sent. Tom. V.

(1) *Al. non est.*

pinquitate attentionis non possunt accipi, nisi secundum ascensum, & descensum propagationis, ad quam non computatur affinitas, nisi mediante consanguinitate: & ideo non habet affinitas gradus per se, sed sumptos juxta gradus consanguinitatis.

Ad secundum dicendum, quod filius affinis meæ ex alio matrimonio non per se loquendo, sed quasi per accidens dicebatur antiquitus affinis: unde prohibebatur à matrimonio magis propter publicæ honestatis justitiam quam propter affinitatem; & propter hoc etiam illa prohibitio (1) est revocata.

SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod ex quo gradus affinitatis sumitur juxta gradus consanguinitatis, oportet quod tot sint gradus affinitatis, quot sunt gradus consanguinitatis. Sed tamen quia affinitas est minus vinculum quam consanguinitas, facilius & olim, & nunc dispensatio fit in remotis gradibus affinitatis quam in remotis gradibus consanguinitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod illa minoritas vinculi affinitatis respectu consanguinitatis facit varietatem in genere attentionis, non in gradibus: & ideo ratio illa non est ad propositum.

Ad secundum dicendum, quod frater non poterat accipere uxorem fratris sui defuncti, nisi in casu, quando scilicet moriebatur sine prole, ut suscitaret semen iratri suo: quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur; quod nunc locum non habet: & sic patet quod non ducebat eam in uxorem quasi gerens propriam personam, sed quasi supplens defectum fratris sui.

ARTICULUS III.

Utrum filii qui nascuntur extra verum matrimonium, sint illegitimi.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod filii qui nascuntur extra verum matrimonium, non sint illegitimi. Quia secundum legem nature natus legitimus filius dicitur. Sed quilibet filius nascitur secundum legem ad minus naturæ, quæ est fortissima. Ergo quilibet filius est legitimus.

2. Præterea. Communiter dicitur, quod legitimus filius est, qui est de legitimo matrimonio natus, vel de eo quod in facie Ecclesiæ legitimum reputatur. Sed contingit quandoque quod aliquod matrimonium reputatur legitimum in facie Ecclesiæ, quod habet impedimentum ne sit verum matrimonium; & tamen à contrahentibus in facie Ecclesiæ scitur; & si occulte nubant, & impedimentum nesciant, legitimum videtur in facie Ecclesiæ, ex quo per Ecclesiam non prohibentur. Ergo filii extra verum matrimonium nati, non sunt illegitimi.

Sed contra. Illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed illi qui nascuntur extra matrimonium, nascuntur contra legem. Ergo sunt illegitimi.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod illegitimi filii non debeant ex hoc aliquod damnatum reportare. Quia filius non debet puniri pro peccato patris, ut patet per sententiam Domini Ezech. xvi. 11. Sed quod iste nascatur

Z